
V
B J
C

Poësis 1441.

Niegossevii Stanislai: Ad Ill. et Rev. Petrum Miscovium, Ep. Crac. et Ducem Severiens.

Epigrammata Ioanni Kochanovio.

STANISLAI

NIEGOSSEVII

AD ILLVSTRISSIMVM ET REVERENDISS. PETRVM MISCOVIVM, EPISC. CRAC. & Ducem Seuerien.

Epigrammata

IOANNI KOCHANOVIO.

QVI CVM NON POSSET AD ILLAM PERVENIRE AETATEM, QVAM CITO PRVDENS ET CITO PHILOSOPHVS INCEPERAT (STATIM ENIM TALEM DII DEDERANT QVALIS DIV EFFICI POSSET) ALTERO ET QVADRAGESIMO AETATIS ANNO, VBI INCREMENTO LOCVS NON ESSET, VICINVM PASSVS OCCASVM, NIMIS CITO PERIIT ET IMMATVRVS.

 



Cracouiæ, In Officina Typographica Lazari.
Anno Domini: 1 5 8 4.

IVNO LVCINA, NIL MOROR, SI ABSIS MIHI PARTVRIENTI: SATIS PARIO FELICITER, SI ADSIT PETRVS MISCOVIVS MEVS, PENE DIXERAM DEVS.

Sic teneram vitem fulcit robuſtior vlmus,
Defenditque ſuam Martia ſpina roſam.
Rurſus honos vlmo eſt vitis, roſa pendula ſpinæ,
Gratiaque alternis naſcitur officiis.

STANISLAI
NIEGOSSEVII
AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.
PETRVM MISCOVIVM, EPISC. CRAC.
& Duc. Seuerien:
EPIGRAMMATA
Ioan. Kochanouio.

Primum.

E*st vbi vita, ibi amor, nec id quod morte peribit,*
Et nusquam & nihil est, cum cinere vmbra, nihil.

I I.

Sic Rosa, quam tepidi vix parturit aura Fauonj,
Mane viret, languet vesþere, nocte cadit.

III.

Mortis eram viuus, moriens ago tempora vitæ,
Respicit in mortem, mors mea Christe tuam.

IIII.

Cur mortem metuam? Mors nil, nisi mortis imago:
Ærumnas hominum, parua, vel vrna teget.

 In ter-

V.

In terris labor est, requies sed dulcis in vrna,
In summo venient, gaudia summa die.

VI.

Vinco fata fide, viden' vt via mortis acerbæ
Vita fit, vt victus concido, victor ero.

VII.

Et me non omnem rapuit mors, illa reliquit
Corpus humo, terris famam, animamq́. Deo.

VIII.

Debita pars terræ cubat hîc, pars debita cœlo
Viuit, pars fertur docta per ora virûm.

IX.

Hei mihi, quid vita est? pelagus nisi triste malorũ,
Sola malis hominum, mors medicina venit.

X.

Vita labor, mors est requies, sed terra cubile:
Vera domus cœlum, gaudia summa, Deus.

XI.

XI.

Vinco fide mortem, mortis post funera viuo:
Viue fide, mortis tu quoq; victor eris.

XII.

Corpus & ingenium, mors flebilis hausit. at ipsa
Fine caret virtus, cætera mortis erunt.

XIII.

Victrix est pietas fati: vis vincere fata,
Sis pius, & tibi mors nil nisi somnus erit.

XIIII.

Si flenda est fortuna hominum, primordia certè
Vitæ, non mortis tempora flere decet.

XV.

Vita, via ad mortem est, & mors sub nomine vitæ
Viuit, vile lutum, puluis & vmbra sumus.

XVI.

Sæpè aliquis florens hodie est, sed crastinus ortus
Edocuit, quàm flos iste caducus erat.

XVII.

Me ſcio morte rapi, ſed me ſcio viuere vitam:
Morte mori, meritis viuere Chriſte tuis.

XVIII.

Neglige præſentes fructus, & conſule famæ,
Mortale eſt corpus, fama perennis erit.

XIX.

Diſce opibus ſeruire Deo, ſeruire relictis:
Fortunæ dubias diſce timere vices.

XX.

Si vitam ex ſeſe virtus habet, hæc quoq; viuent
Exuuiæ. Quid nam mors tulit ergo? Nihil.

Author Kochanouio.

Hei moriar, nam quid viuam mea parte ſepulta?
Sed viuam, vt verſu viuat & illa meo.

Kocha-

Kochanouius Authori.

Me moriente doles; gaudes viuente tibiq́.
Et viuentis ineſt, & morientis amor.

Ipſe animam cœlo, vobis mea ſcripta relinquo.
Sic ego iam duplici parte ſuperſtes ero.

In eiuſdem obitum
Thetraſticha.

I.

Occidit ante diem, venturi haud inſcius æui,
Daphnis Pyeriis, ora refertus aquis.
Sed non hanc ſtudiis potuit depellere peſtem,
Noſſe nec ingenio, fata ſuprema ſuo.

II.

Ante diem miſerè fatis extinctus iniquis
Occidit Aonij gloria prima ſoli:
Qui Phœbi tripodas, Phœbi qui nomina ſenſit,
Non tamen Aoniis fata feſellit aquis.

III.

Occiditin duro mortis proſtratus ab arcu,
Daphnis Pyerij, lausq; decusq; chori:
Omnibus ingenio prior, omnibus arte, ſed iſtis
Non potuit vitæ funera noſſe ſuæ.

IIII.

Atra dies lethi, crudelis arundine tactum,
Abſtulit egregium, nobilitate virum.
Non potuit duri ſuperare pericula lethi,
Ille licet magnæ nouerat artis opem.

V.

Magnus in æternam clauſit ſua lumina noctem
Daphnis Pyerio, maior in arte Deo.
Morte tamen noſtris grauiter correptus in oris
Senſit in ingenio, nihil opis eſſe ſuo.

VI.

Occidit haud vlli veterum, virtute ſecundus,
Longiùs annoſo viuere dignus auo:
Carmine, qui ſyluas, qui carmine ſaxa tenebat,
Non potuit Stygias, fallere voce Deas.

VII.

Lethali

Lethali moriens, condit ſua lumina nocte
Daphnis Pyerio iunctus amore Deo.
Sed neq; dilectæ reminiſcitur ille iuuentæ,
Nec tulit optatam, ſæpè vocatus, opem.

VIII.

Fatali ſoluit, iuuenilia lumina letho,
Quem bene Pegaſus nobilitârat equus.
Hoc iuuit abditas rerum cognoſcere cauſas,
Et ſolita ſummos dicere voce Deos.

IX.

Daphnis fatali correptus lumina ſomno
Extremum noſtro clauſit in orbe diem.
Immemor heu, victus que animi crudelia fata,
Qui tulit ingenio, non reſoluta ſuo.

X.

Oppetijt duram per triſtia funera mortem,
Impexus torto, Gorgonis angue caput.
Ille vel anguicomæ, ſecuiſset colla Meduſæ,
Maior erat duro, lethos adunca ſono.

Ode

Ode Choriambic.

Quidquid Sol oriens quidquid & occidens
Nouit, Cæruleis Oceanus fretis
Quidquid vel veniens vel fugiens lauat:
Ætas Pegaseo corripiet gradu.
Post mortem nihil est, ipsaque mors, nihil.

Ode Gliconicon.

Quid luctu vagor obsitus?
Et formidine pallida
Tristes ad querimonias
Tristi pectore maceror?
Sic natum gemit vnicum
Mater, natus & anxius
Maternum ad tumulum dolet.
Argutis nihil est opus
Phœbum nectere cantibus:
Nec pallæ Tyriæ color,
Nec auro nitidæ comæ:
Molles excipiant choros,
Eoum inter & Hesperum,
Et qua Thaigethi iugis

Aegeon

Aegeon ſuperis timor
Abrupto rapidus mouet,
Affixum ſcopulo latus.
Seû quà Biſtones vltimi
Belli murmure fortibus
Intentant iuga Sarmatis.
Seû quà Marce tuus Leo
Æternum decus Adriæ
In tantum poſitus locum
Infra ſe videt omnia.
Quisquis flebilibus modis
Dulcem diſpoſuit chelym,
Mœrentem feriat liram.
Daphnim Mors grauis occupat:
Daphnim Mors grauis obruit:
Et notum nimis omnibus
Magnum Calliope genus,
Ignotum moritur ſibi.
O triſtes Erebi deæ,
Quid vos fata nouiſsima,
Molli ſtamine nectere
Tantum præcipites iuuat?
Virtus nec Stygium Chaos,
Nec triſtes obitus timet.

Fortes viuite, fortibus
Fati cùm veniet dies,
Virtus ad superos iter
Pandet, quæ metuit nihil.

Pater Apollo cur mea nondum
Capiunt volucres brachia plumas?
Solus vt vacuo nemore & tenui
Ramo pendens querulo possim
Gutture mœstum fundere murmur.

